PRAELECTIONES

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM CAESAREA VILNENSI

A KALENDIS SEPTEMBRIBVS A. MDCCCXX. AD PRIDIE KAL. QVINTILES A. MDCCCXXI.

HABENDAE

INDICVNTVR

A

RECTORE ET SENATV ACADEMICO.

PRAECEDIT G. E. GRODDECKII DISPVTATIO:

GRAECORVM DE ZAMOLXIDE FABVLAE.

VILNAE

EXCVDIT IOSEPHVS ZAWADZKI

ACADEMIAE TYPOGRAPHVS.

Herodoti fidem et circumspectum iudicium, in iis quae de Getis et Zamolxide retulit, cognovistis, Commilitones a). Restat, ut potiora, tum a vulgo Graecorum, tum a scriptoribus post Herodotum de credito hoc Getarum Deo et legislatore tradita excutiamus. In quo ipsum Historiae patrem denuo nobis ducem eligere liceat. Is igitur, expositis quae inter Getas peregrinatus ipse compererat, ita pergit, Historiar. lib. IV. c. 95.:

„*Ut vero a Graecis accepi ad Hellespontum et Pontum habitantibus, homo* fuit hic Zamolxis, servitutem serviens Sami; servus autem fuit Pythagorae, Mnesarchi filii. Illinc, manumissum, aiunt, magnas sibi comparasse pecunias, hisque instructum, in patriam rediisse. Quum vero et misere viverent Thraces, et parum cultis essent ingeniis, Zamolxin hunc, vitae rationem Ionicam edoctum, et moribus institutum cultioribus quam qui apud Thracas obtinerent, ut qui versatus esset cum Graecis et cum Pythagora, sapientiae laude inter Graecos haud minima florente b); magnum, virorum conviviis destinatum, conclave c) exstruendum sibi curasse; in id primarios quosque popularium convivio accepisse, et inter epulandum illos docuisse, neque se, neque convivas suos, nec horum, quotquot fuerint, posteros esse morituros, sed in eum locum venturos, ubi perpetuo superstites omnibus bonis fruituri sint d). Jam vero, dum ea quae comme-

a) Vide Disputationem, Praelectionum in Caes. Univ. Viln. a. 1818-1819. habendarum Indici praemissam: *Getae ἀθανατίζοντες, sive de Immortalitatis, quam Getis persuasisse dicitur Zamolxis, ratione.*

b) *οὐ τῷ ἀσθενεστάτῳ σοφιστῇ*, loquendi genus multis frequentatum, pro *summo*, *eximio*. Similiter Horatio Pythagoras dicitur *non sordidus auctor naturae verique* Carm. I. 28. 15. Cf. *Valckenarium* ad Herodoti locum de quo agimus, et de appellatione *σοφιστοῦ* honorifica *Wesselingium* ad Herodot. I. 29. p. 14. et *Creuzerum* in Commentatt. Herodoteis T. I. p. 170 not.

c) *ἀνδρεῶνα.* Hesychius, Suidas: *Ἀνδρεών· ὁ μέγας οἶκος παρ' Ἡροδότῳ.* Notat locum in quo viri absque feminis convivia agitare solebant, conclave virile sive triclinium. Minus accurate vertunt *exedram.* Vitruv. VI. 10. (VI. 7. p. 165 ed. Schneider.): Graeci *ἀνδρῶνας* appellant oecos, ubi convivia virilia solent esse, quod eo mulieres non accedant. Cf. Perizon. ad Aeliani V. H. VIII. 7. p. 497. Aemilii Porti Lex. Ionicum s. v.

d) *Creuzerus* in Commentatt. Herodot. T. I. p. 171.: „Nemo non intelligit, quantopere haec Zamolxis oratio congruat vaticinio Protei, Aegyptiorum dei, quum in Elysium perventurum Menelaum praeclaris versibus canit Odyss. IV. 561 sqq." Convenientiam hanc tam eximiam vereor ut multis, utrumque locum attentius considerantibus, persuaserit vir doctissimus.

morata sunt agebat atque dicebat, interim subterraneum domicilium e) sibi comparabat. Quo constructo, e Thracum conspectu evanuit, atque descendens in subterraneum illud domicilium, per triennium ibi commorabatur; eumque populares desiderabant et, tamquam mortuum, luctu prosequebantur. Quarto vero anno Thracibus rursus apparuit. Atque ita persuasum habebant, vera esse quae dixerat Zamolxis. Haec eum fecisse dicunt."

e) *κατάγαιον οἴκημα.* Etiam de huius loci explicatione dissentire me fateor a doctissimo *Creuzero*, cuius haec sunt verba l. l. p. 171. „Deinde quae apud Herodotum sequuntur de conclavi subterraneo (*καταγαίῳ οἰκήματι*) in quam persuadendi causa ingressus sit, indeque triennio post redierit Zamolxis, ea et „ipsa advertere nos debent. *Continentur enim talia loca subterranea initiis*, „*quae Zamolxis Getis Thraciae tradidisse fertur.* Hellanicus l. l. (ap. Suid. „et Etym. M.): *Ζάμολξις — τελετὰς κατέδειξε Γέταις τοῖς ἐν Θράκῃ.* Attende ad „vocem solemnem his in rebus, *κατέδειξε*, quae a scenis sacris ad doctrinam „declarandam traducta est. Et reapse ad *δείκελα* spectare illam historiam Za„molxis, nemo est qui ambigere queat. Hoc autem vocabulo in Osiridis ritibus „feralibus utitur Herodotus II. 171. Quales ritus credibile est in subterraneis „conclavibus sepulchrorum peractos esse. Quam late autem pateat hic usus „antrorum sepulchralium, mysteriisque inservientium, exponere longum est." Ut breviter dicam quod sentio, nihil est in tota Herodoti narratione quod de initiis sive mysteriis quibusdam, in antro vel conclavi sepulchrali a Zamolxi persuadendi causa institutis, ut cogitemus, nos impellat. *Hellanici* autem auctoritas *primo* per se nulla est. Nam quae, Suida et Etymologico M. testibus, in libro suo, *Τα βαρβαρικὰ νόμιμα* inscripto, de Zamolxi tradidit, ea, ut universum libellum, ex Herodoti et Damastae scriptis compilata esse novimus. Vid. Disp. Getae *ἀθανατίζοντες* p. 5. not. h.) *Deinde* ipsa verba eius: *Ζάμολξις τελετὰς κατέδειξε Γέταις τοῖς ἐν Θράκῃ*: haud necessario de initiis sive mysteriis intelligenda et explicanda videntur, sed simpliciter, et ad Herodoti locum, quem exscripsit, accommodate, de *epuli*, quo civitatis principes exceperat, *solemnibus* accipi possunt. Quod quum sumtuosum et opulento apparatu instructum fuerit (*καὶ εὐωχέοντα* Herodot. Adde Suid. Etym. M, Phot. v. *Ζάμολξις* extr. *θύουσι δε καὶ εὐωχοῦνται, ὡς αὖθις ἥξοντος τοῦ ἀποθανόντος.*), ut bonorum affluentiam, quae convivas vita hac defunctos olim maneret, praesenti quasi imagine adumbraret; vocabulo uti poterat Hellanicus, cui primitivam hanc *festi magnifici et sumtuosi* significationem inesse, e Grammaticorum doctrina probari licet. Athenaeus II. 3. p. 40 E. *Τελετάς τε καλοῦμεν τὰς ἐπὶ μείζους καὶ μετά τινος μυστικῆς παραδόσεως ἑορτὰς, τῶν εἰς αὐτὰς δαπανημάτων ἕνεκα. τελεῖν γὰρ, τὸ δαπανᾷν· καὶ πολυτελεῖς, οἱ πολλὰ ἀναλίσκοντες· καὶ εὐτελεῖς, οἱ ὀλίγα.* Ex quo profecit *Orus Thebanus* apud Etymol. M. p. 751. 11. Sylb. ubi pravae lectioni *δαπανημάτων ἐν ἕξ*, ex Athenaei loco *ἕνεκα* substituendum esse apparet. Et *Suidas: Τελετή· θυσία μυστηριώδης. ἡ μεγίστη καὶ τιμιωτέρα. ἀπὸ τῶν γινομένων εἰς αὐτὰς δαπανημάτων κ. τ. λ.* et paulo post: *Τελεῖν· ἐπιτελεῖν· πονεῖν. ἢ τὸ δαπανᾷν. ἔνθεν καὶ ἡ τελετή. Hesychius: Τελεταί· ἑορταί, θυσίαι, μυστήρια.* Neque obstat verbum *κατέδειξε* quo usus est scriptor; quod, ut saepe alias, simpliciter reddendum, *instituit*, *exhibuit.* Sic Diodorus Sic. I. 94. *ῥητέον δ' ἡμῖν καὶ περὶ τῶν γενομένων νομοθετῶν κατ' Αἴγυπτον τῶν οὕτως ἐξηλλαγμένα καὶ παράδοξα νόμιμα καταδειξάντων.* Et, quae magis huc faciunt, Dionis Cassii loca, XLV. 6. *Τὴν πανήγυριν, τὴν ἐπὶ τῇ τοῦ Ἀφροδισίου ἐκποιήσει καταδειχθεῖσαν.* LI. 1. *Ἀγῶνά τέ τινα καὶ μουσικὸν, καὶ γυμνικὸν, ἱπποδρομίας τε, πεντετηρικὸν, ἱερὸν — κατέδειξεν, Ἄκτια αὐτὸν προσαγορεύσας.* — *Denique*, si vel maxime de *initiis*, sive ritibus et doctrina arcana cogitasset Hellanicus, tamen vix inde sequeretur, Herodoti *conclave illud subterraneum*, *οἴκημα κατάγαιον*, ad scenas sacras has sive *δείκελα* in loco hoc paranda pertinuisse. Immo consilium, quo ductus in locum hunc abdidisse se fertur Zamolxis, ex Herodoti verbis tam facile colligitur, ut aliud nescio quid comminisci velle, cauti et sobrii interpretis officio adversetur. An desiderio aut luctu tamquam mortuum eum prosecutos esse Thraces credibile foret, si *ὑπογείῳ* hoc ad mysteria peragenda usus fuisset? — Neque Strabonis quamvis diversa narratio, infra apponenda, Creuzeri opinioni patrocinatur. Et prorsus simile commentum de Pythagora ex Hermippo narrat Diogenes Laërt. VIII. 41. coll. Schol. Sophoclis Electr. 62. ut alias eiusdem farinae historiolas de Minoë, de Numa aliisque ne commemorem.

Iam quod totius huius narrationis caput habendum est, Zamolxin, gente Getam, in Samo insula Pythagorae primo servum, mox libertum et discipulum fuisse, qui et doctoris sui singularis sapientia, et Graecanicis vitae institutis et moribus imbutus, in patriam redux, populares suos, ab omni ingeniorum vitaeque cultu alienissimos, erudiverit, praecipue vero immortalitatis ac felicitatis perpetuae spe erexerit: id a scriptorum plerisque, quos laudavimus f), magis minusve enucleate traditur. Unus *Strabo* (VII. 3. 5. T. II. p. 351. Tzsch.), retenta quidem de servitute Zamolxis apud Pythagoram fama, eum ferri ait quaedam de rebus caelestibus e philosopho cognovisse, tum alia ex Aegyptiis, ad quos peregrinando devenisset. Eumdem, in patriam reversum, procerum et gentis suae gratia sibi conciliata, quod ex astrorum ortu et occasu futura praemontrasset (προλέγοντα τὰς ἐπισημασίας), tandem regi persuasisse, ut ipsum, tamquam deorum consilii ac voluntatis interpretem idoneum (ὡς τὰ παρὰ τῶν θεῶν ἐξαγγέλλειν ἱκανόν), regni socium assumeret. Et initio quidem eius dei, qui praecipue colitur apud Getas, sacerdotem creatum; posthac autem Deum etiam appellatum esse, et loco quodam antroso, qui aliis esset inaccessus, se abdidisse, vitamque ibi egisse, raro cum aliis, rege eiusque ministris exceptis, congressum. Ad quod inceptum ipsius regis auxilio usum fuisse, utpote qui homines sibi multo quam ante obsequentiores cognovisset, quod decreta sua deorum promulgaret auctoritate. Pertinuisse autem morem hunc usque ad suam aetatem addit Strabo, nimirum semper aliquo reperto similis ingenii viro, qui regem consiliis adiuvaret, Getisque Deus nominaretur; quin etiam institutum Pythagoreum de abstinentia animalium, a Zamolxi traditum, fere permansisse.

Quae vero in *Charmide*, Platonis qui fertur dialogo g), de *incantationibus* Zamolxidis legimus (p. 156. D. 157. C. 158 B. Steph.), quo respexit *Iulianus* in Caesaribus p. 309. C. et in Epist. consolat. ad Sallustium p. 244 A. Spanh. h), ita sunt comparata, ut a dialogi huius auctore, nisi omnino ficta, certe ad consilii sui rationem accommodata esse videas.

f) In disput. laud. *Getae ἀθανατίζοντες* etc. p. 5.

g) Platonis enim nomen mentiri dialogum hunc, idoneis argumentis docuit *Astii* sollertia. Vide librum eius qui inscribitur: *Plato's Leben und Schriften* p. 119 sqq.

h) Loco a *Spanhemio* (Les Césars de Iulien p. 345.) ita restituto: *τί ποτε οὖν ἄρα χρὴ ψαύειν, καὶ τινὰς* (Leg. *τίνας*) *ἐπῳδὰς εὑρόντα πεῖσαι πρᾴως ἔχειν ὑπὸ τοῦ πάθους θορυβουμένην τὴν ψυχήν; ἆρα ἡμῖν οἱ Ζαμόλξιδος εἰσι μιμητέοι λόγοι, καὶ τὰς ἐκείνου θρυλλεῖν ἐπῳδὰς, ἃς Ἀθήναζε φέρων ὁ Σωκράτης, πρὸ τοῦ την ὀδύνην ἰᾶσθαι τῆς κεφαλῆς, ἐπᾴδειν ἠξίου τῷ καλῷ Χαρμίδῃ;* „De quelle „manière, dit-il, faut-il flatter, ou quels charmes faut-il employer, pour porter „à la moderation une ame troublée par quelque passion? Est-ce qu'il nous faut „imiter les discours de Zamolxis, et nous servir de ses enchantemens, que „Socrate, après les avoir apportés à Athénes, vouloit insinuer au vertueux „Charmides, avant que de le guerir de son mal de tête?" Tum, paucis interiectis, pergit: *Apulée* dans son Apologie, citant le passage de Platon, touchant Z. et ses enchantemens, fait aussi mention en même temps de Zoroastre: „Quod si ita est, cur mihi nosse non liceat, vel Zamolxidis bona verba, vel Zoroastris secerdotia?" Sur quoi je trouve, pour le dire en passant, que S. Chrysostome les joint aussi ensemble, et remarque, que le nom de Zamolxis, aussi bien que celui de Zoroastre, seroit connu à peu de gens, et ce apparem-

Strabonis igitur de Zamolxide historia a Graecorum illa, quam Herodoto debemus, quum aliis modis, tum hactenus differt, quod nihil continet de immortalitate quam Getis suis persuadere voluisse vulgo dicitur; sed Zamolxis secessum eo consilio factum perhibet, ut bonis legibus, divina scilicet auctoritate traditis, patriam regemque iuvaret. In quo ei convenit cum *Diodoro Siculo*, qui (I. 94.) Zamolxin legumlatoribus, deorum congressum simulantibus, Minoï, Lycurgo, aliis, annumerat, legesque Getis impertitas *communi Vestae* tribuisse auctori, nescio unde famam arripiens, narrat i). Praetereo alia, Straboni, vel potius iis quos secutus est auctoribus, propria, ut iter ad Aegyptios, rerum caelestium scientiam a Pythagora acceptam, sacerdotium Zamolxidis, montis sub quo se abscondit nomen l), perpetuas muneris et honoris, quo functus erat, successiones usque ad aetatem Strabonis, quibus inductus *Danvillius* (loco infra allato) doctrinae et sacerdotii Zamolxis apud Getas, Thraciam incolentes, origines usque a Talaï-Lamae Tibetani cultu repetere posse sibi visus est.

Harum et similium narrationum causas et fontes singulos indagare velle, aeque longum foret atque inutile, praesertim quum ad unam fere omnes fama de coniunctione et necessitudine, quae Zamolxi cum Pythagora intercessisse fertur, nitantur, fundamento, si quid aliud, lubrico atque instabili, quod, post Herodotum (IV. 96.), doctissimi viri qui res Geticas attigerunt, inter quos *Bruckerum* m), *Danvillium* n), *Meinersium* o), *Tiedemannum* p) nominare satis est, facillimo negotio disiecerunt. Ut Zaleucum, Charondam, Numam, ita *Abarin Hyperboreum* q),

ment, parce que tout ce qu'on auroit dit de ces gens-là, et de leurs enchantemens, ne seroit que des fables. Orat. 64 in S. Mart. Babyl. T. V. ed. Savil. *Εἶπε γάρ μοι, διὰ τι τὸν Ζωροάστρην ἐκεῖνον, καὶ τὸν Ζάμολξιν οὐδὲ ἐξ ὀνόματος ἴσασιν οἱ πολλοί, μᾶλλον δὲ οὐδέ τινες, πλὴν ὀλίγων τινῶν. ἆρ᾽ οὐχὶ πλάσματα ἦν τὰ περὶ ἐκείνων λεγόμενα ἅπαντα;*"

i) *Καὶ παρ᾽ ἑτέροις δὲ πλείοσιν ἔθνεσι παραδέδοται τοῦτο τὸ γένος τῆς ἐπινοίας ὑπάρξαι, καὶ πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιον γενέσθαι τοῖς πεισθεῖσι. παρὰ μὲν γὰρ τοῖς Ἀριμασποῖς Ζαθραύστην ἱστοροῦσι τὸν ἀγαθὸν δαιμονα προςποιησασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ διδόναι, παρὰ δὲ τοῖς ὀνομαζομένοις Γεταις, τοῖς ἀπαθανατίζουσι, Ζάμολξιν ὡσαύτως τὴν κοινὴν Ἑστιαν.*

l) p. 353. *Καὶ τὸ ὄρος ὑπελήφθη ἱερὸν, καὶ προςαγορεύουσιν οὕτως· ὄνομα δ᾽ αὐτῷ Κωγαίωνον, ὁμώνυμον τῷ παραῤῥέοντι ποταμῷ.* Sed verba haec, quae doctissimo *Danvillio* (*Sur la nation des Gètes, et sur le Pontife adoré chez cette nation*, in Mémoires de Littérature T. XXV. p. 41. coll. Chardon de la Rochette Mélanges de Critique T. I. p. 63 sq.) ad mira commenta ansam dedere, narrationis seriem tam insigniter turbant, tamque manifesto indicio sunt loci aliunde adsciti, (quum in praegressis non montem, sed *ἀντρῶδές τι χωρίον ἄβατον τοῖς ἄλλοις* meminisset Strabo) ut non sine ratione spuria, atque e margine irrepsisse videantur Penzelio, teste Tzschuckio ad h. l. not. 11.

m) Loca enotata vide apud Fabricium B. Gr. Vol. II. p. 15. not. 22. Harl. quibus adde eiusdem Bruckeri Institutiones Historiae Philos. p. 95.

n) L. c. p. 43 sq.

o) Geschichte der Wissensch. in Griech. u. Rom T. I. p. 299 sq.

p) Griechenland's Erste Philosophen p. 333.

q) De *Abari*, modo Scytha, modo Hyperboreo dicto, ineptas fabulas tetigit iam Herodotus IV. 36.; copiose, ut solent, exposuere, praeter *Iamblichum*, insignem sane fabulatorem (ut Valckenarii ad Herodotum l. c. verbis utar) De

et *Getam Zamolxin* e doctoris sui praeceptis, disciplina, institutis, profecisse finxit Pythagoreorum levitas et iactantia, ne temporum quidem rationem commentis his prorsus contrariam respiciens: ut verissima sit atque huc etiam applicanda sententia, quam de *Numae* institutorum origine legimus apud *Livium* Historiar. lib. I. c. 18. „Auctorem doctrinae eius, quia non exstat alius, falso Samium Pythagoram edunt: quem Servio Tullio regnante Romae, centum amplius post annos, in ultima Italiae ora, circa Metapontum Heracleamque et Crotona, iuvenum aemulantium coetus habuisse constat. Ex quibus locis, etsi eiusdem aetatis fuisset, quae fama in Sabinos, aut quo linguae commercio, quemquam ad cupiditatem discendi excivisset? quove praesidio unus per tot gentes, dissonas sermone et moribus, pervenisset?“ — Ceterum est quod sane mireris, Strabonem, scriptorem gravissimum, Herodotei iudicii (IV. 96.) tam parum memorem fuisse, ut acceptas de Zamolxide fabulas simpliciter referret, nulla de earum vanitate interposita sententia. Haud enim latere potuit virum sagacissimum tot commentorum, inter se mire discordantium, causa et ratio, quae nulla alia fuit, nec esse potuit, quam sive animadversa, sive ultro illata quaedam inter philosophi Graeci et legislatoris Getarum (si unquam vixit) opiniones, instituta resque gestas similitudo et convenientia. Sive enim ad hanc ipsam de legibus Zamolxi auctore latis, regnique Getarum administratione famam respicias, sive ad immortalitatis fiduciam, quam idem civitatis suae viris primoribus attulisse fertur, sive denique ad abstinentiae ab animalibus morem, Getis, Posidonio teste r), receptum: haud difficilis est coniectura, quid Graecos, Pythagoram suum, morum et legum civitatumque in Magna Graecia emendatorem, eumdemque animas haud interire praecipientem, tantis honoribus afficientes, induxerit, ut Zamolxidis, Barbarorum numinis et crediti legislatoris parum sibi noti, sapientiam, de temporum quidem repugnantia admodum securi, a Samii philosophi disciplina repeterent. Cui rationi, quamvis temere susceptae, magnum tamen momentum attulit perversa illa opinionis Getarum de immortalitate explicatio, non priscis tantum, sed recentiorum etiam scriptorum plerisque probata. Non satis enim habent, de *doctrina* quadam Zamolxidis, Getis tradita, dicere; sed praecipue *animorum* immortalitatem et *metempsychosin* Zamolxi auctori Getas credidisse contendunt s). Quin etiam varia

Vita Pythag. Sect. 91 et 136., *Celsus* apud Originem III. p. 129. *Porphyrius* Vit. Pythag. §. 29., *Gregorius Nazianzenus* Orat. XX. p. 331., *Himerius* Orat. XXV. p. 815 sq. et Eclog. XIX. 1., ad quem locum *Wernsdorfius* „Abarin, inquit, Scytham intelligit, quem fabulae aiunt telo Apollinis inequitantem per aëra, trans omnia flumina, maria, montes et campos venisse Athenas“ (secundum Suidam, Olymp. III. vel unius Ms. Paris. auctoritate LIII. cf. *Bentleium* de aetate Pythagorae, in Opusc. Philolog. p. 174. ed. Lips.), „et initiatum mysteriis Eleusiniis, Pythagorea dogmata didicisse, eaque posthac, in patriam reversum, civibus suis tradidisse. Sic narrant Suidas, Iamblichus etc.“ Cum Zamolxi eum etiam coniungit auctor dialogi Platonici qui Charmides inscr. p. 158 B. Steph. Pythagoreorum nugas has et mendacia male cohaerentia graviter, ut par est, castigavit refutavitque *Bruckerus* in Institut. hist. philos. p. 97 sq.

r) Strabo VII. p. 297. T. II. p. 351. et 353 Tzsch.

s) Ita, ut de pluribus unum laudem, *Danvillius*, Memoires de Litter. T. XXV. p. 40.: „Plusieurs auteurs de l'antiquité, à commencer par Herodote, ont parlé

Getarum de hominum fato placita, quamquam Zamolxide non nominato, subtiliter distinguere conatus est *Pomponius Mela* t). „Una gens, Thraces, ait, habitant, aliis aliisque praediti et no- „minibus, et moribus. *Quidam feri sunt et ad mortem para- „tissimi, Getae utique. Id varia opinio perficit: alii reditu- „ras putant animas obeuntium; alii, etsi non redeant, non „exstingui tamen, sed ad beatiora transire; alii, emori qui- „dem, sed id melius esse, quam vivere.* Itaque lugentur apud „quosdam puerperia, natique deflentur; funera contra festa sunt, „et, veluti sacra, cantu lusuque celebrantur." Quae quam suo arbitratu faciant interpretes et historici, quamque parum Herodoti, antiquissimi et locupletissimi testis, vestigiis institerint, quum ex iis, quae sub finem prioris disputationis commentatus sum v), satis superque appareat, hoc loco repetere nolo. *Melae* locum partim quidem exscripsit *Solinus* x); sed subtilius tamen iudicium prodidit, sic praefatus: „*Thracibus barbaris inest contemtus vitae, et ex quadam naturalis sapientiae disciplina concordant omnes ad interitum voluntarium.*" Quam *naturalem sapientiam*, ut Solini modo laudati verbis utar, nec solis Getis et omnino Thracibus peculiarem fuisse, sed aliis etiam populis barbaris adfuisse, ut Hispanis, Germanis, Celtis, Indis, docent loca veterum scriptorum, a *Tzschuckio* ad *Pomp. Melam* T. III. P. II. p. 76. excitata. In his obvia sunt de Gallorum sive Celtarum *Druidibus* testimonia *Iulii Caesaris* De B. G. VI. 14. „In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios; atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto." Tum *Melae* III. 2. 3. „Docent (Druides) multa nobilissimos gentis clam et diu, vicenis annis, aut in specu aut in abditis saltibus. Unum ex his, quae praecipiunt, in vulgus effluxit, videlicet, ut forent ad bella meliores, aeternas esse animas, vitamque alteram ad manes." y).

„de Z. comme du Legislateur des Gètes" (De legum latione Zamolxis nihil apud Herodotum.). „C'est à lui qu'on attribue l'établissement *du dogme de l'im- „mortalité de l'ame chez les Gètes*, en consequence duquel ils ont été *ἀθανατίζοντες quasi immortalitatem agentes.*" (Interpretatio haec verbi *ἀθανατίζειν*, haud multum diversa a *Car. Lundii* illa in libro inscripto: *Zamolxis, primus Getarum Legislator*, Upsaliae 1687. 4. p. 167.: *Immortales agere*, adiicienda est variis vocabuli huius explicationibus, quas recensui in Disp. supra laud. p. 6—10. Cf. Fabric. Bibl. Gr. T. II. p. 14. Chardon de la Rochette Mélanges etc. T. I. p. 69.). „La croyance qu'avoient les Gètes de leur immortalité, *étoit fondée sur la metempsychose* ou transfusion des ames." Scire velim, quo argumento se tueantur viri doctissimi, talia praecipientes! En Herodoti verba: *οὔτε ἀποθνήσκειν ἑωυτοὺς νομίζουσι, ἰέναι τε τὸν ἀπολλύμενον παρὰ Ζάμολξιν δαίμονα. Nec mori se putant, et pereuntem abire ad deum Zamolxin.* Quaero, an vel levissimum metempsychosis vestigium verbis his contineatur? nec minus frustra tale vestigium in vulgi Graecorum narratione, ex Herodoto supra descripta, quaeras. Nec apud Strabonem reperitur. Quid igitur est doctrina abuti, suasque opiniones libris veterum inferre, nisi haec interpretandi narrandique ratio?

t) De Situ Orbis II. 2. 3.

u) Getae *ἀθανατ.* p. 13.

x) Polyhist. c. 15. ed. Goth.

y) Adde *Strabonem* IV. p. 197 Alm. T. II. p. 59 sq. ed. Tzsch. — et *Lucani* versus nobilissimos Phars. I. 454 sqq.:

Quae quum partim Pythagoreorum decretis, partim Getarum opinioni, et creditae Zamolxis doctrinae convenire videas z); ecce! haud defuere scriptores atque interpretes, qui aut Pythagoram in Gallia(!) a Druidis doctrinam eorum arcanam percepisse a), aut Druidas a Pythagoreis, quid? ab ipso Zamolxi, Pythagorae servo, edoctos fuisse b) traderent. Sed „ne opus quidem est,“ bene monet doctissimus *Morus* c); „ut, si quis quid statuerit, „quod et Pythagorae visum est, illico credamus, hunc hominem „cum Pythagora aliquid consuetudinis habuisse, aut ad alterum „ab altero fluxisse opinionem. Nonne potuit eadem sententia plu„ribus in mentem venire?“

Missis igitur his de Zamolxidis Pythagorei arcana quadam doctrina somniis, Pythagoreorum officiosae sedulitati debitis, de alio potius mytho, ad Getarum Deum a Graecis relato, pauca dicamus. Vidimus enim d), Etymologico M. Photio et Suida testibus, *Mnaseam*, Aristarchi discipulum, tradidisse, *apud Getas Cronum* i. e. Saturnum, *coli, et vocari Zamolxin.* Idem refert, sed auctoris nomen non commemorans, *Hesychius* binis locis: 1) v. Ζάλμολξις (Cod. Ms. Ζάλμοξης). T. I. p. 1575, ubi notae fabulae expositioni haec subiiciuntur: ἄλλοι δὲ τῷ Κρόνῳ εἶναι λέγουσιν scil. τὸν αὐτόν, quemadmodum, post Palmerium, locum male affectum supplevit Alberti, cui assentitur doctissimus *Schow* in *Hesychii Lex. ex Cod. Ms. restituto* p. 27. — 2) v. Σάλμοξις· ὁ Κρόνος. Tertium addamus *Diogenem Laërtium*, qui, Pythagorae vitam enarrans, l. VIII. c. 1., „Habuit, inquit, et fratres, et servum Zamolxin, cui Getae sacrificant, *pro Saturno habentes*, auctore Herodoto“ e). Extrema haec perperam; nam apud Herodotum non leguntur f). Etiam illud *habentes*, νομίζοντες, minus accurate dictum. Non enim Getarum haec opinio est, sed

— — — Vobis auctoribus, umbrae
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt: regit idem spiritus artus
Orbe alio: longae (canitis si cognita) vitae
Mors media est. Certe populi, quos despicit Arctos,
Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus, haud urget leti metus. Inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animaeque capaces
Mortis; et ignavum rediturae parcere vitae.

z) Iulian. Caes. p. 327 Spanh. *Καὶ τὸ Γετῶν ἔθνος ἐξεῖλον, οἱ τῶν πώποτε μαχιμώτατοι γεγόνασιν, οὐχ ὑπὸ ἀνδρείας μόνον τοῦ σώματος, ἀλλὰ καὶ ὧν ἔπεισεν αὐτοὺς ὁ τιμώμενος παρ᾽ αὐτοῖς Ζάμολξις. Οὐ γὰρ ἀποθνήσκειν, ἀλλὰ μετοικίζεσθαι νομίζοντες, ἑτοιμοτέρους αὐτοὺς ποιοῦσιν, οἱ τὰς ἀποδημίας ὑπομένουσιν.*

a) Sic Alexander de Symbolis Pythagoricis ap. Clementem Alex. Strom. I. p. 331 Sylb. et Origines contra Celsum T. I. p. 335 ed. de la Rue.

b) Diodorus Sic. V. 28. Pseudo-Origines in Philosophumenis c. 2. et 25.

c) Ad Iul. Caes. loc. laud.

d) Getae *ἀθανατίζοντες* etc. p. 5. Not. n. *Μνασέας δὲ, παρὰ Γέταις τὸν Κρόνον τιμᾶσθαι, καὶ καλεῖσθαι Ζάμολξιν.*

e) *Ἔσχε δὲ ἀδελφούς.... καὶ δοῦλον Ζάμολξιν, ᾧ Γέται θύουσι, Κρόνον νομίζοντες, ὥς φησιν Ἡρόδοτος.*

f) Transposita tamen esse verba *ὥς φησιν Ἡρόδ.* et ante *Κρόνον* collocanda, ut ab erroris culpa liberetur Diogenes, suspicatur *Le Moine*. Cf. Wesseling. ad Herodot. IV. 94. p. 323. not. 69.

Graecorum interpretatio. De re ipsa tamen ne dubites. Neque opinionis vel famae huius Graecorum, quae fortasse ad mythum de Zamolxide intelligendum haud parvo sit momento, causa et ratio nos fugit. Quam quidem pulchre iam dispexit *Buttmannus* mihi amicissimus, in docta disputatione g) *über den Kronos oder Saturnus* p. 42. Not. 25.: „*So erkannten die Griechen den Kronos in dem Zamolxis der Geten, wegen der mit seinem Dienst verbundenen Lehre vom glücklichen Zustand nach dem Tode bei Zamolxis, und wegen der Menschenopfer, wovon Herodot IV. 94. 95. Sic Graeci Cronum ex Getarum Zamolxi agnoverunt, et propter placitum de fortunato post mortem statu penes Zamolxin, cum huius cultu coniunctum, et humanorum quae ei fierent sacrificiorum causa.*“ Constat enim Graecos *Croni*, i. e. Saturni, nomine designasse summum Assyriarum et Phoeniciarum gentium, maxime Carthaginiensium numen, quod in SS. Scripturis *Baal* sive *Moloch* (מלך) dicitur, ab aliis autem *Il*, *El* (אל), Ηλ (unde Ἥλιος Graecorum), et Βηλ *Bel* vocatur h), in *Poenulo Plauti* i) etiam *Belsamen* i. e. Augustino interprete, *Dominus caeli*, appellatur, cuique victimis humanis, maxime impuberum, dictos litasse populos, in vulgus notum est l). Idem Saturnus vero Graecis et Romanis *antiquissimi temporis*, eiusque *fortunatissimi*, et ab omni vitio maloque immunis, symbolum habebatur m), alioque pervetere mytho in insulis beatorum regnasse fingebatur n). Quibus mythis et religionibus quam apprime conveniant quae tum de Getarum Deo, victimis humanis, sorte datis, placando, tum de contubernio Dei felici, pereuntes manente, tradidit Herodotus, unusquisque, nec me monente, intelliget.

Enimvero sola hac comparatione, iam a Graecis tentata, non acquiescendum, sed etiam ulterius progrediendum esse, non nemini fortasse videbitur. Quo, qui etymologiis delectantur, sane invitare possit duplex Getici Dei ab Herodoto commemoratum

g) Inserta est Commentatt. Acad. Reg. Berol. annor. 1814. et 1815. p. 163-198.

h) Vide *Vossium* de Theol. Gentil. II. 5. *Seldenium* De Diis Syr. l. 6. et, qui nuper de religionibus his accurate et subtiliter disputavit, doctissimum *Münterum* in *Religion der Karthager* p. 8 sq.

i) Act. V. Sc. 2. v. 67. Cf. *Bellermanni* Versuch einer Erklärung der Punischen Stellen im Pönulus des Plautus. P. II. p. 28.

l) E pluribus locis, a *Buttmanno* et *Müntero* allatis, satis erit adhibere *Porphyrium* de Abstin. II. 56.: *Φοίνικες δὲ ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς ἢ πολέμων ἢ αὐχμῶν ἢ λοιμῶν ἐθύοντο τῶν φιλτάτων τινὰ ἐπιψηφίζοντες Κρόνῳ· καὶ πλήρης δὲ ἡ φοινικικὴ ἱστορία τῶν θυσάντων, ἣν Σαγχουνιάθων — συνέγραψεν.* — *Pseudo-Platonem* in Minoë p. 315 C. *Καρχηδόνιοι δὲ θύουσιν (ἀνθρώπους), ὡς ὅσιον ὂν καὶ νόμινον αὐτοῖς· καὶ ταῦτα ἔνιοι αὐτῶν καὶ τοὺς αὐτῶν υἱεῖς τῷ Κρόνῳ.* — *Diodorum Sic.* XIII. 86. XX. 14. — *Ennii* versum (Vid. Fragmenta Ennii in Annal. lib. I. ed. Hesselii p. 28):

„*Poeni sont solitei sos sacrificare puellos*“

Denique *Silium Ital.* Punicor. IV. 767 sqq. ubi memoratu dignus ad nostrum consilium est v. 770., *sorte ductos* esse qui Deo immolarentur, significans:

„*Urna reducebat miserandos annua casus.*“

m) Vide *Buttmannum* l. l. p. 29. 30. *Abhandlungen* etc. p. 169 sq.

n) Vide *Hesiodum* in Ἔργοις v. 167 sqq. *Pindarum* Olymp. II. 127 sqq. coll. *Buttmanno* l. c. p. 31 sq. cum Additam. A. p. 51 sq. *Abhandl.* p. 171 sq. et p. 191 sqq.

nomen *Za-molx-is* et *Ge-beleï-zis*, in quorum priore Phoeniciae illius appellationis, *Moloch*, ut in altero *Beli* vestigia haud obscura deprehendere licet, praesertim si memineris, ultimum nomen in nonnullis libris mss. Herodoti, demta prima syllaba, *Beleïzis*, efferri o). Quem lusum (sit venia verbo!) si admittas, ut communem nominis scripturam, *Zamolxis*, (non *Zalmoxis*) novo argumento firmari vides; ita eiusdem veriloquium, e Slavonica lingua ductum, minus arridebit p). Ceterum Asiatici Dei eiusque sacrorum ad Thraciae populos transitio neminem iam offendet, opinor, qui et gentium et religionum veterum migrationes, affinitates et mutua commercia e priscorum annalium monumentis, aliisque temporum ac locorum notis atque vestigiis didicerit.—Quae in praesens modo indicasse satis habemus, ne diutius vos moremur, Commilitones Amantissimi, bonarum quippe litterarum ac disciplinarum copias, quae in tabula sequenti vobis offeruntur, iamdudum cognoscendi cupidos. Quibus ut pari ardore et perseverantia utamini, vobis et patriae, de studiis vestris fausta quaevis ominanti, vehementer optamus.

o) *Schweighäuseri* Varietas Lectionis in Herodoti lib. IV. p. 152.: *Γεβελέϊζιν*) *Βελεϊζιν* *Med. Pass. Ask. Valla* et F. In Pb. et Pd. est *Βελείξιν*, sed in Pd. super ξ est ζ inter lineas.

p) Cf. Disp. Getae *ἀθανατίζοντες* etc. p. 7 sq. not. g).

I.

PRAELECTIONES PHYSICORVM ET MATHEMATICORVM.

B. STANISLAVS JVNDZIŁŁ. Phil. et Theol. D., Reg. Societ. Litt. et Oecon. Vars., Caesar. Societ. Mosquens. Scrutat. naturae Sodalis, Botanices et Zoologiae Prof. P. O. diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab hora II ad IV^tae^ dimidium, primo Zoologiam universam ita tradet, ut notionibus de natura animalium generatim expositis, eorumque classibus et ordinibus ad recentissimas virorum doctorum animadversiones descriptis, genera omnia et species singillatim percenseantur, eorumque, maxime indigenarum, patria, mores, usus etc. indicentur. Deinde Botanices doctrinam expositurus, praemissa brevi disciplinae huius historia, 1. Elementorum a se vulgatorum ductu Physiologiam vegetabilium explanabit; 2. Terminologiam botanicam docebit totam; 3. Varia, quae dicuntur, systemata, ad scientiae huius studia allevanda iuvandaque a viris celeberrimis excogitata, suo iudicio interposito, enarrabit, rationem Linneanam prae ceteris diligenter penitusque cogniturus. 4. Denique plantarum generum ac specierum ad methodum sexualem determinationem ostendet, tum Horti Botanici copiis adhibitis, tum excursionibus botanicis una cum auditoribus suis usurus.

IGNATIVS HORODECKI, Phil. D., A Cons. Aul., Univ. Adjunctus, Solis, Merc. et Sat. d., ab hora II ad IV. Mineralogiam ad ultimum Wernerianum systema traditurus, nova Mineralia, in hoc systemate et in Oryctognosia Hoffmanni descripta, adiiciet. Absoluta historica parte Mineralogiae, praecipue de variis divisionibus systematicis mineralium et theoriis Geologiae, sive hypothesibus cosmologicis, neptunicis, vulcanicis et plutonicis, de formatione montium et venarum, tractabit Terminologiam characterum propriorum solidis, friabilibus, fluidis et aëriformibus, cum demonstratione in exemplis colorum et figurarum, etiam elementorum Crystallographiae Werneri et Hauii; postea de figuris organicis seu petrificatis et impressis, de fractura, rasura, ceterisque signis externis et internis. Demonstratis his characteribus, aggredietur systematicam demonstrationem mineralium simplicium sive Oryctognosiam, quantum fieri poterit, applicatam ad usum et Geologiam. Oryctogno-

siam excipiet Geognosia, sive demonstratio mineralium compositorum, quae constituunt in stratis varios montes, et quorum fragmenta, ad demonstrationem huius rei apta, in locis adiacentibus Vilnae exstant.

ANDREAS SNIADECKI, Ph. ac Med. D., a Cons. Status, Chemiae Prof. P. O. Elementa Chemiae Universae ad Institutionum suarum ultimam editionem, novis additamentis auctam, exponet, experimentisque ac demonstrationibus in publico Laboratorio firmare conabitur diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab horae XI^mae^ dimidio ad XII.

FELIX DRZEWINSKI, Phil. D., Universitatis Adjunctus, diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Saturni, ab hora IX ad XI^mae^ dimidium Physicam experimentalem tradet duce cel. Bioto, additis recentiorum observationibus.

MICHAEL POLINSKI, Phil. D. Acad. Florent. Luc., Patav. et Soc. Philom. Paris Adscriptus, Matheseos Prof. P. O., diebus Lunae et Jovis ab horae VIII matutinae dimidio ad IX. Martis autem et Veneris a IX ad XI^mae^ dimidium, universae Algebrae principia Joanne Sniadeckio duce, hoc ordine exponet. 1. Cunctis operationibus, tam in simplicibus, quam in exponentialibus, radicalibus, et imaginariis quantitatibus, monstratis, aequationes determinatas, indeterminatas inferiorum atque superiorum graduum illas tractabit. Quibus accedet explicatio serierum recurrentium, methodusque inveniendi terminum generalem et summas serierum, ubi natura et proprietates fractionum continuarum explanabuntur: deinceps sequetur tractatio de functionibus transcendentibus, logarithmicis scilicet et arcubus circulorum, simulque de tabularum tam logarithmicarum quam trigonometricarum condendarum ratione, earumque usu. 2. Applicationem Algebrae ad lineas curvas docebit, exposita primo doctrina analytica de linea recta et plano, et variis utriusque positionibus definiendis. Lineas denique secundi ordinis, sectionum conicarum nomine notatas, omnesque earum proprietates ex aequationibus secundi gradus eruet et demonstrabit. 3) Geodesiam sublimiorem tradet.

ZACHARIAS NIEMCZEWSKI, Colleg. a Cons., Phil. D., Societ. Ital. Sodalis, Matheseos sublimioris applicatae Prof. P. O., Ordinis huius h. t. Decanus, diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni ab horae VIII^vae^ dimidio ad IX. exponet principia Calculi differentialis, regulasque differentiandi omnes functiones unius vel plurium variabilium tradet, tum usum eiusdem in inveniendis maximis et minimis quantiatibus functionum unius vel duarum variabilium, in investigandis proprietatibus Curvarum superiorum ordinum, demonstrabit. Perget hinc ad Calculi integralis tractationem, ibique 1. de integratione aget functionum unius variabilis, qualescunque eae sint functiones, commensurabiles, incommensurabiles, integrae aut fractae, algebraicae vel transcendentes; 2. de integratione

aequationum differentialium omnium ordinum, quo loco praecipue disseret de separatione variabilium, de inveniendo factore, cuius ope aequatio differentialis in nonnullis casibus fit integrabilis, deque solutionibus particularibus; 3. de integratione differentialium partialium omnium ordinum. Denique explicabit Methodum Variationum, cuius latissimus usus est in Mechanica caelesti et analytica. Postremo tradet Mechanicam, ubi leges aequilibrii, parallelogramma virium ac leges motus ope analyseos exponet.

ANTONIUS WYRWICZ, Phil. D., diebus Mercurii et Saturni ab horae XI^{mae} dimidio ad XII. Astronomiam tradet, exposita primum Trigonometria sphaerica duce Johanne Sniadeckio, Delambrio et Bioto.

CAROLVS PODCZASZYNSKI, Phil. Mag., Architecturae generalia praecepta ad Durandii methodum diebus Lunae et Jovis ab horae VIII^{ae} matutinae dimidio ad IX, Martis vero et Veneris a IX ad XI^{mae} dimidium, traditurus, 1) Disciplinae huius vim ac naturam exponet. 2) Elementa, ad cuiuslibet aedificii structuram et coagmentationem pertinentia, multiplici ratione considerabit. 3) Varias horum elementorum coniunctiones enumerabit et describet. 4) Quo facilius architecturae studiosos ad cognitas iam aedificii partes secum coagmentandas et in unam structuram componendas instituat, insignem aedificiorum ad varios usus iam paratorum copiam curiosius excutiet, et ad artis praecepta initio stabilita exiget, criticam sic disciplinae partem expositurus. Praecepta vero ubique excipient exercitationes graphicae, ad eum finem suscipiendae, ut 1) Variorum aedificii elementorum forma et reciprocus positus in proiectionibus, sic dictis, effingantur. 2) Plurima exemplaria coniunctionum, aedificii partes constituentium, brevi et compendiaria via in tabulas transferantur. 3) Postulatorum varii generis aedificiorum idonea specimina adumbrentur.

CAIETANUS KRASSOWSKI, Phil. D., a Cons. Aul., Univers. Adjunctus, Merc. et Satur. diebus ab horae XI dimidio ad XII, Elementa Agronomiae ad sua dictata tradet.

Diebus Mart. Iov. et Sat. ab horae XI^{mae} dimidio ad XII. Topographiam rationemque positionum geometrice delineandarum, ad usus civiles, oeconomicos et militares accommodatam, docebit Magister ad hoc munus designatus.

II.

PRAELECTIONES MEDICORUM.

VENCESLAUS PELIKAN, Med. et Chir. D., Cesareae Med. Chir. Acad. Petropolit. Socius litterarum commerciis con-

iunctus, Chirurgiae, Clinices Chirurgicae et Medicinae forensis Prof. P. O. diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, ab horae VIII. dimidio ad IX. Chirurgiam universam docebit. Expositis igitur disciplinae huius argumento, utilitate atque nexu cum aliis Medicinae partibus, ad tractanda singula capita Chirurgiae tum generalis tum specialis accedet. Denique Operationes cruentas in cadaveribus demonstrabit. Mensibus vero aestivis, diebus et horis serius designandis, Medicinae forensis praecepta tradet. Praeterea in Nosocomio Clinico Chirurgico quotidie hora X matutina, disciplinae suae Alumnos, quomodo doctrinam studio comparatam ad usum accommodari oporteat, exemplis docebit.

Idem, Mercurii et Saturni diebus, ab horae XI dimidio ad XII. Veneris autem ab hora II. pomerid. ad IV^{tae} dimidium Anatomiae humanae lectiones habebit.

CONSTANTINUS PORCYANKO Med. D., Professoris Chirurgiae et Clinices Chirurgicae Adjutor, diebus et horis designandis, tum fasciarum machinarumque Chirurgicarum usum ostendet, tum in nosocomio Clinico Chirurgico studiosorum occupationibus aderit, repetitionesque Chirurgicas instituet.

ADAMVS BIELKIEWICZ Med. Cand., repetitiones Anatomicas instituet, atque studiosorum operam in dissectionum Anatomicarum periculis faciendis moderabitur.

MICHAEL HOMOLICKI, Med. D., Universitatis Adjunctus, Physiologiam docebit diebus Mart., Jov. et Ven. ab horae VIII matutinae dimidio ad IX. Universa de vita doctrina ad Andreae Sniadeckii V. Cl. Theoriam corporum organicarum strictim tradita, physiologiam corporis humani uberius exponet, inque singulis functionibus accuratius tractandis rerum ordinem a Bichatio institutum, a Sprengelio autem, Lenhoszékio, Richerando et Magendio perfectum, servabit, potiora tamen huius disciplinae principia ad Andreae Sniadeckii in laudato opere sententiam explicabit. Cuncta vero physiologiae hominis praecepta et animadversionibus et experimentis doctissimorum virorum, qui nostra potissimum aetate inclaruerunt, firmanda vel locupletanda, et observationibus, quas Anatomia comparata suppeditabit, passim illustranda curabit.

AVGVSTVS BECU, Phil. et Med. D., a Cons. Colleg., ordinis S. Vladimiri IV classis Eques, Reg. Soc. Vars. et Jenner. Londin. Sodalis, Pathologiae et Hygienae Prof. P. O. diebus Lun. Merc. Iov. et Sat. ab hora IX usque ad XI^{mae} dimidium, exponet Pathologiam generalem et specialem, sua elementa secuturus; mensibus autem aestivis, diebus et horis serius designandis, praemissis Anatomiae et Physiologiae popularis praeceptis, Hygienam docebit, Clericorum Seminarii Vilnensis usibus praecipue accommodatam, cui Politiae medicae capita nonnulla, quantum in eorum rem fuerit, subiunget.

IOANNES WOLFFGANG, Phil. D., a Cons. Aul. Pharmacologiae et Pharmaciae Prof. P. E. diebus Lun. Mart. et Iov. ab h. II ad IV^{tae} dimidium, priore semestri, praemissa brevi utriusque disciplinae historia, tradet doctrinam de medicamentis simplicibus seu Pharmacologiam, in qua propositis omnibus corporibus, e triplici naturae regno in medicina usurpari solitis, eorumdem classes, ordines, genera et species indicabit; singulorumque exponet characteres, indolem, patriam, tempus, acquirendi vel colligendi et conservandi rationem; atque his omnibus adiunget criteria, quorum ope medicamenta bonae notae ab adulteratis, corruptis et falsis distinguere liceat. Altero tum semestri ad doctrinam de medicamentis compositis seu Pharmaciam percursurus, explicatis primum iis omnibus conditionibus et regulis, quae ad Imperii leges, vel expeditionem formularum a medicis praescriptarum, vel calculi artem in Pharmacopoliis tenendam, vel denique ipsos Pharmacopoeos proxime spectant; describet cuiuslibet speciatim praeparati pharmaco-chemici normam praeparandi, operationes pharmaceuticas in laboratorio coram auditoribus perficiet, theoriam earum et singulas proprietates tam physicas quam chemicas docebit, ut bona indoles dati pharmaci, vel circa illud fraus commissa, ope reagentium ubique detegi possit.

FERDINANDVS SZPITZNAGEL, Med. et Chir. D., Status a Consiliis, Caes. Soc. Mosqu. Scrut. Nat. Sodalis, Therapiae generalis et Materiae Medicae Prof. P. Emeritus, diebus Lun. Mart. Iov. et Vener. ab horae XI^{mae} matut. dimidio usque ad XII primo Therapiam docebit generalem, quacum Materiam medicam generalem et Pharmacocatagraphologiam, seu methodum formulas medicas praescribendi, coniunget. His absolutis, in Materia medica speciali tractabit singula corpora medica plus minus usitata, copiosius autem de iis disseret, quae in potioribus Europae pharmacorum officinis, maxime vero in Pharmacopoea Rossica et Pharmacopoea castrensi Ruthenica asservata prostant. Postremo Toxicologiam sive doctrinam de venenis exponet, eorumque noxam, antidota, et, si quis est, in re medica usum ostendet.

JOSEPHVS FRANK, Phil. et Med. D., Status a Cons. Collegii Praefectorum rei medicae Sodalis, Ordinis S. Annae II classis et S. Vladimiri IV classis Eques, Therapiae specialis et Clinices medicae Prof. P. O., quotidie ab hora VIII matutina ad IX, in nosocomio clinico doctrinam medicam curandis morbis aptabit, tradetque sexies per hebdomadem, ab hora IX ad X, ad praecepta sua Praxeos medicae, eam Therapiae specialis partem, quae ad morbos oris, oesophagi, viscerum abdominalium uropoiieticorum et partium genitalium spectat. Neque deerit clinicis occupationibus in nosocomio hora V ad VI vespertinam.

VINCENTII HERBERSKI, Med. D., Universitatis Adjuncti, exteras Medicorum scholas Academiae iussu nunc visentis,

vices in Nosocomio clinico geret Franciscus Wróblewski Medico-Chirurgus.

NICOLAVS MIANOWSKI, Ph. M. et Ch. D., a Cons. Aulae, Regiae Societatis litterariae et Oeconomicae Varsav., atque Med. Vilnens. Sodalis, Artis obstetriciae Prof. P. O. lectiones a se habendas ita disponet, ut 1) virilis sexus discipulis per totum annum, quem vocant, scholasticum, Mercurii et Saturni diebus, ab horae VIII matutinae dimidio ad IX. universae artis praecepta Froriepio duce tradet, et doctrinam de morbis praegnantium et puerperarum, nec non de iis recens natorum, in quantum artis obstetriciae res est, explicet. 2) Feminis, obstetricum munere in Imperio Rossico fungendi potestatem quaerentibus, item bis per hebdomadem, Martis et Veneris diebus, ab hora IX matutina usque ad XI^{mae} dimidium elementa in obstetricum usum nuper a se Vilnae edita exponat. Praeterea artis obstetriciae exercitationes in nosocomio Academico, in utriusque sexus auditorum gratiam rite moderabitur.

LVDOVICVS HENRICVS BOIANUS, Med. et Chir. D., Coll. a Cons., Ord. S. Annae II cl. et S. Vlad. IV cl. Eques, Caes. Acad. Scient. et Med. Chir. Petropolit., Societ. nat. curios. Mosqu. aliisq. Societ. litt. adscriptus, Veterinariae Medicinae et Anatomes comparatae Prof. P. O. 1. Diebus Lun. Mart. Iov. et Vener. ab horae II dimid. ad III Veterinariae Medicinae praecepta tradet. 2. Opera in Instituto practico veterinario tractanda diriget, ex iisque quae huic consilio idonea visa fuerint, in praelectionum usum convertet. 3. Anatomes comparatae lectionibus, diebus Merc. et Sat. iisdem horis habendis, protozoorum, polyporum, animalium radiatorum et molluscorum, vermium intestinorum et exterorum, insectorum, crustaceorum, arachnidum, piscium, amphibiorum, avium, denique mammalium fabricam exponet, eamque ipsorum animalium sectione, vel praeparatorum, in Museo zootomico suis curis collectorum, ope illustrabit; in auxilium vocatis, ubi necesse fuerit, lineamentis in tabula nigra ducendis.

III.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORVM DISCIPLINARVM ETHICO-POLITICARVM.

ANGELUS DOWGIRD Scholarum Piarum, diebus Martis et Veneris ab horae VIII^{ae} dimidio ad IX. matut. Logicam atque Psychologiam ad sua dictata vernaculo sermone

traditurus, hunc servabit ordinem. Exposita breviter significatione, primum Logices tum naturalis, tum artificialis, dein Psychologiae, praemissaque celebriorum de disciplinis his scriptorum notitia, imprimis tractabit de facultatibus atque operationibus mentis simplicibus; tam primariis, ut de facultate sentiendi, de intellectu, et sui ipsius cognitione; quam secundariis, iis nempe, quae non aliter innotescunt nisi per comparationem notionum ad priores facultates pertinentium. Mox aget de operationibus mentis compositis, videlicet de iudicio, de rerum cognitione, de imaginatione; tum de praestigiis sensuum, de societate, quatenus ad acquirendas rerum notiones conferat, de mutua notionum mentis cum signis suis, sive verbis et vocibus, coniunctione, de propositionibus, de criteriis veritatis, de ratiocinatione eiusque nexu cum notionibus sensu acquisitis, de causis errorum, de verisimilitudine, de methodo. His denique subiungens placita de notionum origine, de animae cum corpore copulatione, de voluntate ac libero arbitrio, de immortalitate animae, universam Psychologiae doctrinam absolvet.

IGNATIVS OŁDAKOWSKI, Iur. D., diebus et horis designandis tradet Ius naturae, politicum et gentium.

ALOYSIUS CAPPELLI Phil. et Iur. Utr. D. a Consiliis Coll. Iuris Romani, Poenalis et Ecclesiastici, nec non linguae et litter. Ital. P. P. O. diebus Lunae et Iovis ab horae XI^{ae} dimid. ad XII eam Iuris publici generalis nobilissimam partem illustrabit, quae circa ius puniendi versatur.
Diebus Merc. et Sat. hora ead. Institutiones Juris Romani ita exponere conabitur, ut iuvenes universas iurisprudentiae rationes addiscant, legum et iurium fontes intelligant, Romanique iuris studio ita ingenium acuant, ut de omnibus rebus ad universam Iurisprudentiam pertinentibus accurate iudicare et statuere valeant.
Tandem diebus Martis et Veneris ab h. XI ad XII aget I. de personis ecclesiasticis, ipsarumque a) aditu ad statum clericalem, b) obligationibus, c) iuribus singularibus, d) distinctione in saeculares et regulares, e) beneficiis: II. de Rebus Ecclesiasticis ac de Matrimonio potissimum: III. de Iudiciis Ecclesiasticis, ad quae referuntur delicta et poenae ecclesiasticae.

IGNATIVS DANIŁOWICZ, Iur. Civ. Magister, Universitatis Adjunctus, Ius civile patrium vernaculo sermone traditurus, diebus Lunae et Martis ab hora III pomerid. ad Vtae dimidium principia iuris civilis Polonici et Lituanici ad sua dictata exponet. Iovis et Veneris autem diebus eadem hora ius civile Rossicum docebit, adhibitis in capite de personis earumque iuribus, iuris Rossici Institutionibus, publica auctoritate nuper vulgatis: de Rebus autem, ut de Obligationibus et Actionibus disserens, suis utetur Commentariis.

IOANNES ZNOSKO, Phil. D., Reg. Societatis Litter. Varsav. Sodalis, a Cons. Colleg. Oeconomiae politicae Prof.

P. O., diebus Lunae, Merc. Iovis et Satur. ab horae VIII dimidio ad IX. 1. Oecomomiam politicam proprie sic dictam, atque doctrinam de reditibus publicis ad Elementa vernaculo sermone a se vulgata enarrabit, rationem Adami Smith potissimum explicaturus, additis recentiorum hac de re scriptorum opinionibus. 2. Duobus mensibus aestivis rei mercatoriae disciplinam tradet duce Büschio.

IGNATIVS ONACEWICZ, Philosophiae Magister, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, ab hora V ad VII^mae dimidium post meridiem praemissis Litteraturae historiae notitiis ad Wachlerum suaque dictata, tradet historiam antiquam Ludenio, et recentiorem Heerenio ducibus: medii autem aevi illam praeeunte Iohanne Müllero. Rerum gestarum expositio ut auditorum utilitati inserviat, opportunas crebrasque adiunget animadversiones, in quibus disseret de ortu, progressu, amplitudine, potentia, atque interitu regnorum, causas et effectus variarum immutationum diligenter perquiret, tum populorum leges, mores, consuetudines, religiones, artes, disciplinas ac praeclara virorum illustrium merita diligenter enucleabit.

Idem die Iovis eadem hora Statisticam universalem duce Meusello tradet.

IOANNES CHRYSOSTOMVS GINTYŁŁO, Theol. Magister. diebus Lun. Mart. Jov. et Vener. ab hora III ad IV. Evangelium Iohannis et Acta Apostolorum exponet.

ANDREAS KŁAGIEWICZ, Phil. et Theol. D., Canon. Cath. Viln. Theologiae Dogm. et Historiae Eccl. Professor P. O. Martis, Mercurii et Iovis diebus, ab hora VIII ad X^mae dimidium, absolutis aliquot reliquis capitibus primae partis Theologiae Dogmaticae; alteram, quae de Deo humani generis Redemptore, felicitatisque Largitore doctrinam complectitur, ad Klüpfelii rationem explicabit.

Idem eadem hora, die Veneris, gesta Ecclesiae Christianae anno superiore enarrari coepta, duce Dannenmayero, ulterius persequetur, graviora rerum capita, ad Auditorum studia accendenda e suis Commentariis copiosius illustraturus.

IOHANNES CANTIVS CHODANI, Theol. D., Theologiae Moralis et Pastoralis. Prof. P. O. Can. Cath. Vilnensis, Ordinis huius Decanus, diebus Lu. Mart. et Ven. ab horae X^mae dimidio ad XI officia hominis christiani erga alios homines, quum interna tum externa, enarrabit. Deinde de officiis eius hypotheticis in societate domestica civili et religiosa, in vario etiam statu et loco vitaeque conditione disseret. Tandem universa virtutis christianae auxilia, eorumque usum legitimum docebit.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI, a Cons. Aul. Univers. Adjunctus, diebus Lunae et Saturni ab horae VIII^vae dimidio ad IX matut. hebraici sermonis praecepta tradet, tum Chrestomathiam Vateri et Exodi librum interpretabitur.

Idem alteram partem Archaeologiae Biblicae Jahnio auctore vernacula lingua exponet Martis die hora XI.

PETRVS OSTROWSKI, Martis et Jovis diebus hora II ad III pomerid. Statisticam Imperii Rossici, ad Elementa Summi Scholarum Magistratus iussu vulgata, tradet.

IV.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORVM LITTERATVRAE ET ARTIVM ELEGANTIORVM.

GODOFREDVS ERNESTVS GRODDECK, a Consil. Colleg., Linguae et Litterar. Graecar. et Romanar. Prof. P. O. Ord. S. Vlad. IV. cl. Eques, quater per hebdom. hor. X matut. Odysseam, hor. II. pomerid. Ciceronis Orationes Catilinarias, pro P. Sulla et L. Muraena, enarrabit. Bis, Merc. et Sat. diebus, hor. X. mat. Encyclopaediam Philologicam, h. II pom. Litteraturae Romanae historiam ad sua dictata tradet.

LEO BOROWSKI, Phil. M. Univers. Adjunctus, poëseos et eloquentiae theoriam tradet quater per hebd. Lun. Mart. Iov. et Sat. diebus, ab horae IX dimid. ad X. Principiis, ad quae recentiores philosophi sensum pulchri et recti homini innatum exegerunt, ad artem dicendi applicatis, omnem artem oratoriam certioribus limitibus circumscribet, eiusque partes distinguet. Selecta exempla, e poëtarum, oratorum, aliorumque auctorum scriptis depromta praeceptis subiunget, scribendi exercitationibus studiosorum haud defuturus.

IOANNES PINABEL, a Cons. Aul., ord. S. Vlad. IV. cl. Eques. Lun. et Merc. h. III—IV., Mart. et Ven. h. IV—V pomerid. Linguae et Litteraturae Gallo-Francorum Prof. P. E. 1) linguae et prosodiae Gallo-francorum elementa tradet. 2) litterarum elegantiorum huius gentis historiam enarrabit ducibus Batteusio, Marmontelio et Laharpio. 3) vertendo in linguam Gallicam et recitando pulcherrima laudatissimorum scriptorum loca tum styli exercendi tum pronunciationis emendandae auditoribus copiam faciet.

BENIAMINVS FRIDERICVS HAUSTEIN, a Cons. Aul., Ordinis Reg. Sax. Civicis meritis dicati Eques. Univers. Adiunctus, Merc. et Ven. diebus, hora IV—V. Sat. autem die, hora I pomerid. Linguae Germanicae praecepta tradet, et discipulorum germanice scribendi exercitationes moderabitur, provectioribus vero Litteraturae germanicae Historiam exponet.

Idem diebus Lun. Merc. et Ven. hora I. Linguae Anglicae praecepta tradet.

ALOYSIVS CAPPELLI Phil. et Iuris Utr. D., a Consiliis Coll. Iurium et linguae ac litter. Ital. P. P. O., diebus Mercurii et Saturni, ab hora V ad VI, tironibus linguae Italicae praecepta, provectioribus vero Italicorum scriptorum selecta loca explanabit, et elementa litter. Ital. tradet.

SIMON FELIX ZUKOWSKI, a Cons. Aul. Univ. Adj. Linguae Graecae elementa traditurus, expositioni Grammatices subiunget explicationem Chrestomathiae Jacobsii V. Cl. Vilnae typis vulgatam. Idem Luciani libellum, qui inscribitur De mercede conductis, interpretabitur diebus Martii et Saturni ab horae XI dimidio ad XII.

LVDOVICVS SOBOLEWSKI, Phil. Magister, diebus Lunae, Mercurii et Saturni hora I pomerid. Sallustii Bellum Catilinarium, et Plauti comoediam, quae Amphitruo inscribitur, lingua vernacula explicabit.

IOANNES RVSTEM, a Cons. Aul. Artis delineandi Prof. P. E. quotidie ab hora V vespertina ad VII. regulas Artis delineandi tradet et explicabit, discipulos quoque in formis ducendis ad lampadis lucem, tam ex antiquis quam anatomicis figuris, deinde de vivo exemplari, exercebit.

CASIMIRVS JELSKI, Artium Magister, Sculpturae elementa tradet, tironumque in hac arte se exercentium studia reget diebus Lun. Merc. et Veneris ab horae XI dimidio ad XII.

JOSEPHVS SAUNDERS, Caesar. Acad. Petrop. et Stockholm. Sodalis, Phil. D. Chalcographiae, Artium elegantiorum ac Litterarum Anglicarum Prof. P. O. Lun. et Ven. diebus ab hora V ad VII^{ae} dimidium, ad dictata sua, Gallo Francorum utens sermone, alteram institutionis et disciplinae suae partem exponet, ab artis philosophia incipiens, addita vocabulorum in artibus tradendis receptorum, sive formularum, explicatione, artium liberalium disquiret initia, incrementa, florem, vicissitudines, interitum, apud veteres populos, maxime apud Indos, Hebraeos, Aegyptios, Persas, Etruscos, Graecos et Romanos. Porro earum vim ad humanitatis, morum, vitaeque cultum declarabit, et varios usus indicabit, quos Politicae, rerum commerciis, historiae, litterarum studiis omnino eae afferre putandae sint: tum, quibus rebus ad earum incrementa et perfectionem opus sit, quidque diversi caeli tractus ac regiones eo conferant, ostendet. 2. Martis et Jovis diebus ab hora V ad VII^{mae} dimidium, nunc Franco-Gallorum, nunc Anglorum lingua utens, Litteraturae Anglicae elementa tradet, ac primo Adami Smithii Theory of Moral sentiments, tum Fergusonis Civil Society, Addissonis Spectatorem et Knoxii Moral Essays; denique Walteri Scoti Lady of the Lake etc. Collini et Grayi Odas, Miltonis Paradise lost, et Schakespearii select tragedies explicabit. 3. Artis Chalcographiae studiosorum exercitationes reget quotidie, Solis diebus exceptis, ab hora VIII matutina usque ad meridiem.

IOANNES DAVID HOLLAND, Lun. Merc. et Vener. diebus, hora III – IV Musices veteris et recentioris disciplinam tradet; doctrinamque de sonorum numeris (Contrapunct), de diversorum intervallorum usu, de sonorum figuris et dimidiatis (Cadences), de siglis continuis (General Bass) et de compositione musica exponet, musicasque auditorum reget exercitationes.

totis

Artes Gymnasticas, quum equitationis et saltationis, tum rudibus vel pugnatoriis armis batuendi, publice docebunt harum Artium Magistri, diebus et horis designandis.

Bibliothecam Academicam aperient quotidie, Solis ceterisque festis diebus exceptis, hora III – V. Godofr. Ern. Groddeck Bibliothecae Acad. Praefectus, et Adiutores Casimirus Kontrym a Cons. Aul. et Simon Felix Żukowski a Cons. Aul. Vniversitatis Adiuncti.